

consilio et adiutorio doctorum expertorum, et deliberavimus eciam de universitate vestra aliquos tam de facultate theologica quam de facultate iuridica pro examinatione istorum de quibus agitur vocare, prout iusticie et equitatis fuisset, sed quia facitis vos partem, oportet nos pro nunc supersedere et illud cum extraneis, de quo tamen satis dolemus, expedire. Datum Merseburg feria tertia post dominicam quasimodogeniti, anno 2c. XLVI. 5 nostro sub sigillo.

Venerabilibus rectori et toti universitati studii Lipczensis, nostris dilectis.

77.

Die Universität schickt in Angelegenheiten der beiden verhafteten Studenten ihren Notar Magister Johannes von Melrichstadt an den Dekan der Naumburger Kirche. 1446 Apr. 27. 10

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 327^a.

Sincere caritatis affectum cum omni promptitudine complacendi. Venerabilis domine decane, fautor noster amicissime. Vestra noscat reverentia, quomodo duo quidam clerici, nostre universitatis membra, nuper feria tertia pasce, hora quinta post meridiem vel circiter, clara die et in publica strata in nullo fore facto deprehensi, sine armis more 15 solito incedentes, per cives Liptzenses in opido Liptzk ausu temerario detenti ac per eos tamquam latrones et publici malefactores vinculati nocturno tempore sunt abducti, qui adhuc in nostre universitatis scandalum in tenebrosis ergastulis detinentur. In qua causa quia remedio opus erit pariter et vindicte et vos pro conservatore iurium et privilegiorum nostre universitatis nobis singulis cum quibusdam aliis a sede apostolica specialiter depu- 20 tatus, ideoque ad vestram reverenciam transmittimus harum testimonio litterarum honorabilem nobis ac dilectum magistrum Iohannem de Mellerstat, presentem exhibitorum, predictae nostre universitatis notarium iuratum, cui commisimus predictum negocium superius aliquantum designatum vestre reverencie clarius et complenius proponendum et supplicandum, quatenus ut huiusmodi molestatorum contestatur temeritas, vestrum nobis velitis 25 presidium pariter et remedium exhibere atque auctoritate apostolica nobis in hac parte concessa, quod docere possumus evidenter in loco commissi facinoris fulminare ecclesiasticum interdictum, quousque supradicti nostri detenti, constudentes cum tali honore nobis restituantur cum quali dedecore sunt abducti. Quare supradicti magistri in hac parte procuratoris relationibus in singulis nostri ex parte in presenti negocio, sive nar- 30 ratorie, sive supplicatorie aut eciam requisitorie proponendis, per vos petimus fidem credulam adhiberi, effectu vestre petitionis favorabiliter subsecuto, in hiis nobis gratam benivolentiam exhibentes, quemadmodum de vestra reverencia confidenciam gerimus singularem. Datum rectoratus sub sigillo anno 46, 27. aprilis 2c.